ODE.

ERGO ſolutis corda pavoribus
Spes alma blando lumine ſublevat,
Fletuſque pallenteſque curas
Turba redux abigit jocorum.

Se quiſque civis, ſoſpite Principe,
Feſto fatetur murmure ſoſpitem:
Et patriam ſalvam eſſe clamat,
Incolumi patriæ Parente.

Jam ter reduxit cornua Cynthii
Germana Phœbe, Regificum caput
Ex quo per hoſtiles tumultus
Laudis amor tenet atque pacis.

Paviſtis hoſtes mœnia fulmine
Quaſſantem, amaſtis conſpicuum aureâ
Virtute; victoriſque victus
Geſtit ovans celebrare nomen.

At ecce priſcis cladibus ingruit
Hoſtis ſuperbus, Sarmaticum genus;
Iſtri relictâ fauce, Rhenum
Edomitis populatur undis.